



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Avrea Gemma Christianorvm

Ruben, Leonhard

Paderbornae, 1604

XI. Christus circumciditur & imponitur illi nomen Iesus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68313)

signacula eius; quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omnibus, & lingua, & populo, & natione; & fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes; & regnabimus super terram. Et vidi, & audiui vocem angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & seniorum; & erat numerus eorum millia millium, dicentium voce magna: Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Et omnem creaturam, que in celo est, & super terram, & sub terra, & que sunt in mari, & que in eo: omnes audiui dicentes sedenti in throno, & agno: benedictio, & honor, & gloria, & potestas, in secula seculorum, & quatuor animalia dicebant: Amen. Et viginti quatuor seniores ceciderunt in facies suas, & adorauerunt viuentem in secula seculorum. Plura ibidem capit. 7. vers. 9. 10. † 13. vers. 14. 15. 16. 17.

CAPVT XI.

Christus circumciditur & imponitur illi
nomen Iesus.

FIGVRAE. Prima in Isaac qui octauo die circumciditur. Genes. 21. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Concepitq; & peperit filium in senectute sua, tempore quo prädixerat ei Deus. Vocauitq; Abraham nomen filij sui quem genuit ei Sara, Isaac, & circumcidit eum octauo die, sicut præceperat ei Deus, cum centum esset annorum, hac quippe etate patris natus est Isaac. Dixitq; Sara. Risum fecit mihi Deus: quicumq; audierit, corridebit mihi.

H 3

Secunda

Secunda Ioseph patriarchæ imponitur nomen à Rege, & vocatur Saluator mundi. Gen. 41. 44. 45. Dixit quoq; Rex ad Ioseph: Ego sum Pharaon: absq; tuo imperio non mouebit quisquam manum aut pedem in omni terra Egypti, verumq; nomen eius, & vocauit eum lingua Egyptiaca Saluatorem mundi. Deditq; illi uxorem Aseneth filiam Puthipharis sacerdotis Heliopoleos.

PROPHETIAE. Isai. 7. 14. Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. Ibid. cap. 8. 3. 4. Et accessi ad Prophetissam, & concepit, & peperit filium, & dixit Dominus ad me. Voca nomen eius, Accelera spolia detrahere, festina predari. Quia antequam sciat patrem vocare patrem suum, & matrem suam, auferent fortitudo Damasci, & spolia Samaria coram rege Assyriorum. Capit. 9. 6. 7. Parvulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius; & vocabitur nomen eius. Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis. Ezech. 39. 7. Et nomen sanctum meum notum faciam in medio populi mei Israël, & non polluam nomen sanctum meum amplius, & scient gentes quia ego Dominus sanctus Israël. Habac. 3. 18. Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo.

VERITAS. LUC. I. 31. Ecce concipies in utero, & paries filium, Et vocabis nomen eius Iesum. Ibid. cap. 2. 21. Et postquam consummati sunt dies

otto ut circumcideretur puer, vocatū est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab angelo priusquam in utero conciperetur. Rom. 15. 8. Dico enim Iesum Christum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum. Sic datur illi nomen super omne nomen. Phil. 2. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu: qui cum in forma Dei esset, non rapinans arbitratus est esse se aequalem Deo: sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus ut homo. Humiliauit semetipsum factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine Iesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris. Virtutes verò quinquaginta nouem nominis huius, vide in Thesauro nostro biblico, tit. Nomen Dei, puncto 6. & fructum id laudantium, puncto 7. & quale sit, puncto 8.

CAPVT XII.

Christi natiuitas manifestatur pastoribus vigilantibus

PROPHETIAE Psalm. III. 4. Exortum est in tenebris lumen rectis, misericors, & miserator, & iustus. Psal 137. 6. Quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta à longè cognoscit. Isai. 9. 2. 3. Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnā: habitantibus in regione umbrae mortis, lux orta est eis. Multiplicasti gentē, & nō magnificasti letitiā,

H 4

latibunt